


PAMFLET
223


EPIS
NON
NULL



959









PAMFLET
223





EPISTOLAE NONNVLLÆ PARTIVM, DE PACIFICATIONE,

cuius instituendæ Anno 1574. in Belgica magna facta spes erat.

Item,

HOLLANDIÆ ZELANdieq; Ordinum, sociorumq; libellus supplex ad Regiam Maiestatem, vnà cum eiusdē impugnatione & defensione.


Gallicis Belgicogermanicisq; Latina facta.



Psalmo 28.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus suis. Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinuentionum suarum.

Dordraci. Anno. M.D.LXXV.



INTERPRES LECTORI.

NOSTRI *homines, præſertim qui in republica verſantur, non tam concinnè ſcribere, quàm quæ volunt, vtcunque conſarcire curant. Quæ res ſupra alia vertendi tædia, interpretem etiam terret: quòd vt interpres concinnam orationem reddere nequeat. Non tamen hæc, quò minùs hoc ſcriptum Latinum facerem, me auertêre: quòd quæ continet, quoquouerſum quàm longiſſimè innoteſcere interſit: & mens cuiuſque maximè ex ipſiuſmet oratione appareat. Habes igitur Hiſpanorum, atque aſſeclarum patriæ proditorum, rationes iniquiſſimas: in quibus etiam in hac pacificatione perſeuerant: neque niſi diuinitus percellantur, dimouebuntur vnquã. Habes ediuerſo Hollandorum ſociorumque euidentẽ perpetuamque cauſſę defenſionem. Quę dum res ad plenam hiſtoriam matureſcent, ęqui bonique conſules. Vale.*

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.



NDE ab initio in hoc præcipuè laborarũt aduersarij, vt conquisitis vndique calumniis caussam nostram apud quoscunque facerent detestabilem. Aliâs nos accusarunt, tanquam de vera rectaque erga Deum religione desciuissemus: aliâs verò, tanquam contempta auctoritate maiestateque Regis Hispaniarum, Principis siue Domini nostri, contra eundem in armis essemus. Quibus sanè calumniis præter cætera hoc quæsierunt, vt præstringerent eorum oculos, qui plenam huius rei cognitionem non habent, iisdemque insatiabiles suas cupiditates tegerent. Iam verò cùm rei veritas indies magis magisque illucescat, non dubitamus, quin iisdem artibus eam premere satagent. Et quidem ex quotidianis ipsorum sermonibus hæc quoquouersum sparsuros esse colligere facile est, nos nullas ęquas pacis conditiones admittere aut tolerare velle, nihilque nos quærere aliud, quàm vt hoc bellum intestinum foueamus, sustineamus, ac prolongemus: etiam cũ certa harum regionum pernicie atque interitu: vt quibus Regiam Maiestatem lędere, bonumq; publicum conturbare atque interuertere volupe sit. Quamobrem nequis deinceps falsis illorum suggestionibus adducatur, vt insontes damnet, & immanium publicæ tranquillitatis hostiũ actiones probet: non potuimus, quin post tot libellos supplices

& precatorias commonitiones ſubinde ad Regiã Maieſtatem fruſtra emiſſas, etiam poſtremũ noſtrum ad Regem libellum publicaremus, vnà cum omnibus iis, quæ ſedandi huius belli cauſſa vtrinque producta in medium ſunt: quæ quidem ſubſequentibus epiſtolis diſertè continentur, vtpote huius rei cauſſa hinc inde ſcriptis. Quibus de noſtro nihil adiungere viſum eſt, vt quiſque ſine cunctatione, de rei veritate iudicare poſsit. Præſertim cùm hinc luculenter conſtiturũ confidamus, quinam auctores huius belli fuerint, & per quos ſtet, quos minùs pax & concordia iniri queat. Inſuper intelligere indidem quiſq; poterit, nos agnouiſſe ſemper, et obſeruaſſe Regem Hiſpaniarum, vt noſtrum Principem & Dominum, tanquam à Deo nobis datum, vt ex præſcripto contractuum, antiquarum legum, conſuetudinum, immunitatum, & priuilegiorum ſolenni iuiciurando ab ipſo confirmatorum, ſecundum ius & æquum nos regat. Cuius rei ſignum etiam erit, quòd in hiſce noſtris calamitatibus ad ipſum, tanquam ad aſylum, ſupplices identidem confugimus. Quàm verò nos in pacificationis negotio tractabiles et faciles prębuerimus, argumento erit, quòd cùm nonnulli, qui ſe optare pacem & tranquillitatem publicam fingerent, hæc præcipuè à nobis poſtularent, Vt Regiam Maieſtatem venerenter haberemus, nullamque de religione mentionem faceremus: quanquam euidentes rationes eſſent, quare aduerſariorum noſtrorum odium pluſquam Vatinianum eo modo non imminutum, ſed potius auctum & exacerbatum

tum iri existimaremus: ita tamen nos gesserimus, nihil vt ne ab aduersariis quidem, quantum ad illa, requiri potuerit: vt etiam sequentia satis testabuntur. Certè alacri animo caussam nostram Regiæ Maiestatis Ordinumque vniuersæ Belgicæ iudicio subiecimus: tametsi pleriq; eorum hactenus hostiliter nobiscum egerint. Confidebamus nanque eos, vt quibus conditio harum regionum notior sit, quàm exteris, quique addictiores communi patriæ, eiusdemque Principi sint (quorum respectu etiam iure optimo, & secundum veteres leges cognitio istiusmodi caussarum ad eos pertinebat) eius & facultatis & voluntatis fore, vt consuleret Regi: quod maximè faceret ad eius dignitatem, & ad harum regionum concordiam, & veterem fœlicitatem. Contrà verò ita se iniquos exhibuerunt aduersarij, vt ne aspicere quidem libellum nostrum dignati sint. Quinimo supremum sibi sumentes imperiũ, ipsi etiam Regi cognoscendi potestatem ademerunt, ac pro arbitrio (tanquã impedire pacem iustitiæq; administrationem vellent) caussam nostram diiudicationi substraxerũt. Idque si Diis placet, præcipuè propterea (quomodo quidem ipsi confitentur) quòd comitia vniuersorum Ordinum requisierimus, quę tamen maiorum temporibus in arduis negotiis semper habita sunt. Porrò etiam, vt maleuolum suum animum manifestiorem facerent, maiorem deinceps nostris viuis concremandis & vstulandis crudelitatẽ exercuerunt, quam vnquam antea. In quo etiam reliquum Ordinum minis atque vi cogere conati

ſunt, vt libidinibus ſuis ſubſeruiret. Ex quo luce clarius fit, ſatis ipſis non eſſe, quòd cum inæſtimabili detrimento Regis, & irrecuperabili pernicie harum eius patrimonialium ditionum, hoc graue & cruentum bellum ſuſcitarũt: niſi inſuper tyrannici ſui voti compotes, omnes haſce regiones in perpetuum ſibi ſeruitutem mancipent. Quando autem pacem nobiſcum inire velle, præ ſe ferunt, vnũ hoc agunt, vt nos fallant, ac reliquas prouincias & ciuitates magna ſpe diſtineant, quò minus aduerſus ipſorum tyrannidē ſe nobis iungant: ſperantes interim iis artibus conatus ſuos perfici poſſe, quæ ipſis in Franciæ regno tam fœliciter ceſſerunt. Verùm nos in immenſa Dei miſericordia, qua hactenus tam miraculoſè aduerſus illorum inſidias & inſultus conſeruati ſumus, hanc fiduciam habemus, quòd non modò illorũ machinationes in fumum abibunt: verùm etiam, quòd vniuerſus populus Chriſtianus, & omnes Reges & Principes, pręcipuè verò Cæſarea Maieſtas, & Imperij Proceres in hoc videntes non fucatam noſtram & fidelem demiſsionem, & magnam æquitatē cum pacis & concordię ardenti deſiderio coniunctam, eamque cum intolerabili faſtu & belluina tyrannide aduerſariorum conferentes, cauſſę noſtrę iam tandem patrocinių̃ ſuſcipient. Et ſi fortaſſe in poſterum improbitate aduerſariorum alias rationes ſecuritatis & ſalutis noſtræ quærere cogamur, quã hactenus ſecuti ſumus, culpam non in nos, ſed in aduerſarios, vt qui eò nos compulerint, coniiciēt: dę quo profectò etiam terrarũ orbem hoc ſcripto conte-

contestamur vniuersum: ac confugimus quidem ad iustitiam, æquitatem, & prudentiam inuictissimæ Cæsareæ Maiestatis, omniumq; Imperij Procerum, & totius Christiani orbis Principum, obnixè orantes, vt neglectis calumniis aduersariorũ, caussam nostram diligenter expendere, & prout officij sui esse intelligent, eam sustinere atque tueri dignentur. Commonefacimus insuper etiam omnes Belgicæ Ordines, vt propositis sibi aduersariorum consiliis & actionibus, tanquam speculo, animaduertant, quo loco apud eos sint, quidq; ab iisdem expectare debeant, si fortè quod conantur, ipsis succedat. Ac proinde etiã caueant, ne pusillanimitate alióue quoquo modo, dũ illi miris technis hoc agunt, vt paci bonoque publico dediti esse videantur, se circumueniri ac falli sinant. Quin & ob tam manifestum ipsorum in comitia Ordinũ odium cogitent, quomodo isti proteruiæ resistãt, memoresq; iurisiurandi, quo quicquid in ipsis est, patriæ obstrinxerunt, gnauiter se parent, vt optimas probatissimasque patriæ leges, contractus & immunitates, si opus sit, etiam armis propugnent. Quod si fecerint, nihil extra officium fecerint: & sibi in omnem posteritatem nomen & gloriam comparabunt sempiternam.

Vt autem sequentes epistolæ, totumque hoc scriptũ rectè intelligatur, sciendum est, Philippum Marnicum Santaldegondæ Dominum, dũ Traiecti ad Rhenum captiuus teneretur, permissu & iussu Norcarmij aliquoties scripsisse Aurantiæ Principi de colloquio inter partes instituendo, si fortè

præſenti bello finis imponi poſsit. Quæ res etiam poſt Norcarmij mortem huc deducta fuit, vt iam deſignati fuerint, qui vtrinq; ad colloquium mitterentur. Verùm cùm interea in extremis Cliuiæ finibus Ludouicus Naſſouius cæſus eſſet, cœptus pacificationis modus Ludouico Requeſeno Gubernatori diſplicuit, vtpote quo Regis auctoritas minui videretur: cùm conuenire potius exiſtimaret, vt Hollandicæ Zelandicæque ciuitates Regem per libellum ſupplices appellarent, quò quæ pax obtineri poſſet, Regis clementiæ, non item alicui pacificationis iuri accepta ferretur. Atque hac quidem de cauſſa pacificationis negotium ad tempus interquieuit, donec Fridericus Perrenotus Scampangiæ Dominus, poſtquam vnas literas dediſſet ad Carolum Boſotum Gubernatorem Middelburgenſem (quarum tenor cum reſponſione fratris eius Ludouici Boſoti ſub ſignis A. B. ſequitur) eu nque peregre eſſe intellexiſſet (Principis enim iuſſu tũ in Anglia erat) Traiectum ad Rhenum profectus eſt: ſiue vt ſororis marito, Comiti Roſchio, in exequenda Regis Condonatione, ſiue Gratia recens publicata, auxilio eſſet: quod quidem ipſe aſſeruit, ſiue alia ſua de cauſſa. Quo loco cùm eſſet, ſermonem de purificatione cum Santaldegondæ Domino tum adhuc captiuo habuit. Quem poſtquam ad eam rem procliuem animaduertit: ſimul etiam quia idem inſtaret, ne ob prædictam difficultatem opus reipublicæ tam ſalutare intermitteretur: tum verò etiam, quia affirmaret, Principem Ordineſque Hollandiæ & Zelandiæ

potiùs de suo cessuros, quàm iure summo cũ Rege acturos: eius opera in eo vtendum putauit, eumq; Roterodamum ad Principem misit: vt de mutandis captiuis ageret, simul autem experiretur, quid in caussa illa effici posset, mandans præcipuè hæc duo: Vt Regis auctoritas salua maneat, & ne religionis mentio fiat. Porrò aliquantò antè permissu Scampangiæ Domini Roterodamũ venerant Iohannes Matenessus Riuiræ Dominus, & Iohannes Trelongius nuper curiæ Hollandicæ Aduocatus, rerum quidem suarum caussã, quomodo prę se ferebant: sed simul in mandatis habebant, vt Principem Ordinesque Hollandię instigarent, vt aliquas pacis conditiones proponere vellent. Qui ab illis responsum in scriptis abstulerunt, quod hisce insertum sub signo C. locum habet. Quod quoniã Scampangiæ Domino non probaretur, perscripsit ea de re ad Santaldegondæ Dominum, qui adhuc Roterodami erat, pleniùs opinionem & consiliũ suum: quæ eius literę sub D. sequuntur. Ex quibus literis Santaldegondæ, Dominus cum Ordinibus ampliùs egit, effecitque, vt declaratio in libellum supplicem transformaretur, Ordinum nomine, quamuis ipsis iure optimo competente, religionisq; mentione, penitus omissis. In quo tantummodo cum omni reuerentia petebatur, vt Rex postquam exteros tam perniciosos decedere hisce prouinciis iussisset, adhibitis in consilium Ordinibus vniuersis instaurare omnia, et constituere rempublicam vellet: quicquid ita decretum & constitutũ esset, se obtemperaturos recipiebant. Libel-

ius autem ille sub signo E. habetur. Quem quidem libellum, Santaldegondæ Dominus Scampangiæ Domino Monforti dedit, inde porrò Traiectum, captiuitatis suæ locũ, reuertens. Verùm is aliquanto tempore interiecto, postquam Bruxellæ in aula fuisset, illum ad Iohannem Iunium Gubernatorem Verensem, iunctum suis ad eundem literis, quas sub signo F. inuenire erit, remisit. Fuerat hic Iunius cũ Domino Carnesio loco Santaldegondę Domini Monforti obsẽs, vbi Scampangię Dominus eo de pacificatione aliquoties egerat. Respõdit autem illi Iunius & literis & commentariolo, quæ sub G.H. hunc libellum claudunt. Porrò penes lectorem sit iudicium: Deusque Optimus Maximus hoc nobis concedat, vt quicquid hoc est, totum in eius gloriam, veræque ecclesiæ redundet instaurationem.

EPI-

EPISTOLA FRIDERICI PERRENOTI SCHAMpangiæ Domini ad Carolum Bosotum Gubernatorem Middelburgensem.

A.


OMINE Bosote, quę inter parentes nostros, Dominum Granuellanũ & Dominum Thesaurarium (quibus Deus propitius sit) amicitia fuit: quęq; deinceps cum fratre meo Cardinale constitit: & quę mihi tecum priuatim fuit: denique quę etiamnum cum sororibus tuis dominis meis, iisque, qui te contingunt, arctè à me colitur: grauem mihi tuam absentiam, & participem me tuorum laborum facit. Quamobrem cum iam Regia Maiestas declaret, se tantopore desiderare, vt hæ regiones pacentur, & qui hactenus se subduxerunt, ad gratiam suam redeant (id quod longo iam tempore optaui, quantumque in me fuit, data oportunitate, vt fieret, curaui) ex itinere Traiectũ versus, quò ex mandato Gubernatoris proficiscor, vt sororis meæ maritum Comitem Roschium in exequenda Regis benigna volũtate adiuuem, hæc pro illa veteri amicitia ad te scribere visum est. Opto autem ex animo, vt rebus tuis rectè consultum sit, mihique hanc operam commodes, vt miseras hasce regiones tãtis calamitatibus, quæ vndique eas opprimunt, mutuis consiliis liberemus. In quo sanè tibi promitto officium viri

boni

boni ſyncereriq; amici, & ſiquid præſtiteris in reducendis hiſce hominibus ad obedientiam Regis, me effecturum recipio, vt non modò tua recuperes, verumetiam præclarum præmium conſequaris. Quod tibi ita affirmare poſſum, vt neque tu, neque ciuitates, quæ à Rege defecerunt, hanc occaſionem negligere debeas. Et ſi fortè aliquando in colloquium deueniemus, ſpero nos rationes inuenturos, quæ non ſolùm ciuitatibus & tibi, ſed aliis etiam ſuprà quàm exiſtimare poſsis, vtiles futuræ ſunt: cum maiorem auctoritatem apud Gubernatorem nactus ſim, quàm ſcribere poſsim: & ſingularem clementiam in eodé deprehenderim, quoties cum eo egi de auertendis h ſce calamitatibus. In quo quæſo ſtudia tua iungas meis, mecumque paria facias: quod (vti ſpero) Dei benignitate magnum reipublicę allaturum eſt momẽtum. Eundem domine Boſote precor efficiat, æquo vt animo præſentem fortunam feras, vtque nobis omnibus haſce calamitates finiat: ac me etiã atque etiam tuæ beneuolentiæ commendo. Cantecroigæ 14. Iunij, Anno 1574.

EPISTOLA LVDOVICI Bosoti ad Fridericum Perrenotum Scampangiæ Dominum.

B

DOMINE Perrenote, Venêre mihi ad manum literæ tuæ decimoquarto huius mensis ad fratrem meum scriptæ: quas, quia peregre est, resignaui. Maiorem autem in modũ gauisus sum, cùm ex iisdem intellexi, magno nunc desiderio teneri Maiestatem Regiam, vt hæ suæ prouinciæ pacentur: & vt subditi ad suam redeant gratiam: id quod te etiam longo iam tempore optasse, ais, & simul pro viribus procurasse. Et quòd porrò te optare scribis, vt rebus fratris mei rectè consultum sit: & vt eius, tuisq; consiliis mutuis miserrimę hæ prouinciæ, quę vndique eas opprimant, calamitatibus liberentur: eò illi abs te promittens viri boni synceri que amici officium, & non solùm suarum rerum restitutionem, verumetiam præclaram renumerationem: quas conditiones neq; illum, neque quę ab obedientia Regis defecerunt ciuitates, debere repudiare, ais: hisque de rebus cupere cum eo coràm agere, affirmans tibi magnam apud nouum hunc Gubernatorem auctoritatem esse, teq; in eodem non exiguam clementiam deprehendere: ad hęc omnia frater, si præsens esset, de consensu Principis copiosè respondere posit. Iam verò ego breuis ero, nec dicam aliud, quàm rem esse Christiano Principe dignã, pro quo se gerit Rex, desyderare pacem & tranquillitatem subditorum suorum: neque esse alium, qui id ęquè optat, atque

Dominus

Dominus meus Aurãtię Princeps: de quo tibi etiã ſororis tuę maritus Comes Roſchius teſtis eſſe poterit, vt qui plenè norit, quæ ſuper ea re & geſta & ſcripta ſunt. Hoc inſuper de me addam, meo iudicio nõ ſupereſſe componendorum horum motuũ rationes, niſi exteri hiſce prouinciis decedant. Nam vt cùm vetera tum recẽtia exempla ſatis docent, non ſunt illi tales, quorum promiſsis pactiſue haberi fides poſsit: cùm in modum Concilij Conſtantienſis, quod ſemper in ore habent, mille facilè ſubterfugia inueniant: vt nulla pactorum firmitas, quandiu hîc eſſent, neque ſecuritas eſſe poſſet. Committere nolui, quin ad Principem literas tuas mitterem, vt illi innoteſcat deſyderium, quo te ad pacem publicam ferri ſcribis. Rogo autem te, vt in eo conſtans eſſe velis, precorque Deum, vt tibi viciſsim det, vt præſentem fortunam æquo animo feras, noſque omnes hiſce calamitatibus liberet. Middelburgi, 17 Iunij, Anno 1574.

DECLARATIO ORDINVM Hollandiæ & Zelandiæ ad ea, quę ipſis de pace propoſita erant.

C.

AD ea, quæ de hoc bello certa firmaque pace conſpiciendo, & tranquillitate bonoq; publico harum prouinciarum, Regiæque Maieſtatis ſubditorum conſtituendo, in medium producta atque propoſita ſunt, declarant Hollandiæ Zelandiæque Ordines, ſe nunquã in animo fuiſſe, neque adhuc eſſe, vt arma ſumerẽt, hoſtiléue aliquid medita-

ditarentur contra Regiam Maiestatem, aut ipsius prouincias. Sed quòd iurisiurandi officiique sui respectu ad conseruandam Regiæ Maiestatis existimationem, magnitudiné, atq; dominationé, vnà cùm eiusdem prouinciarum atque subditorũ priuilegiis, legibus, consuetudinibus, atque immunitatibus iureiurando confirmatis, coacti sunt se armata manu opponere iniquissimæ dominationi violentissimæque tyrannidi Ducis Albani, eiusq; sociorum: hominum in hisce regionibus prorsus peregrinorum, qui mandatis subditorum exactionibus atque concussionibus euertêre tranquillitatem publicam: non aliò sanè contendentes, quàm vt Regię Maiestatis prouincias atque subditos suis subiicerent libidinibus, eosdemque in perpetuam coniicerent seruitute: non sine irrecuperabili profectò Regię Maiestatis eiusdemq; ditionum damno: quemadmodum iidem Ordines id antehac publicatis scriptis satis ostendêre, atque protestati sunt. Quamobrem non sit, quòd in præsens cum Rege de pace agant: cùm illum pro Domino ac Principe suo agnoscant, eidemque cum omni obseruantia hactenus seruiant. Atque ideo supplices illum orant, vt tanquam bonus pater benigno obtutu aspicere miserias & calamitates harum regionum dignetur: quò ad tranquillitatem pristinumque statum reducantur: quod simul ipsius dignitatem & potentiam augeat, simul ad magnam eius vtilitaté subditos ingẽtibus commodis beet. Verùm quoniam ad impossibile futurum est, quamdiu hic rerum potientur exteri, tyrannidemque

exer-

exercebũt: vt quibus plus vtilitatis & lucri in turbulenta, quàm in tranquilla republica ſitũ ſit: quique naturâ rapinis inhient, itaq; hiſce motibus & bello anſam præbuerint: vt Regia Maieſtas curare velit, vt exteri diſcedant, ac deinde conſtituto libero concilio, de ſententia omnium Ordinũ harum prouinciarum in vnum legitimè conuocatorum, ita reipublicæ ſtatum ordinet, vt ſubditi deinceps ab incommodis & pereundis viuere ſecuri poſsint. Propterea verò etiam, quòd (vt liberè loqui liceat) ex productione diuturnitateque huius belli aliud nihil expectari poſsit, quàm deformiſsima vaſtitas, certuſque interitus harum regionum: atque eô quidem magis, quòd incolæ indies magis magiſque ſe armis dedant, valedicentes artium negotiationumque ſuarum exercitiis, vt ad licentiam militarem procliues ſunt homines: ita vt valde metuendum ſit, ne hac ratione artes, commercia, mercatura, atque nauigationes prorſus depereant, quod ſanè Regiæ Maieſtati in irrecuperabile detrimentum cedat: ſupplices obteſtantur iidẽ Ordines, vt hac re benignè expenſa, ante omnia auctoritate Regiæ Maieſtatis tam Hollandia & Zelandia, quàm reliquæ vicinæ prouinciæ, ſaltem externo milite exonerentur: ac deinde tanquam induciis factis, hinc inde à cunctis hoſtilibus ſuperſedeatur: ita, vt indigenę commercia ſecuræ redintegrare, & inter ſe reconciliari poſsint. In quibus (vt iidem Ordines confidunt) Celſitudinem Gubernatoris omneſque fideles clientes ac miniſtros Regię Maieſtatis conquieturos, eademque neceſ-

ſariò

ſariò fieri debere Regi ſuggeſturos (quod vt facere velint, eoſdem maiorem in modum etiam atque etiam ſupplices orant) ita ipſi nihil eorum detrectabunt, quę deuotos fideles ſubditos facere æquum ſit.

EPISTOLA FRIDERICI Perrenoti Scampangię Domini ad Philippum Marnicium Santaldegondæ Dominum.

D.

DOMINE Santaldegondi nõ poſſumus ſatis mirari, nihil nos abs te intelligere de iis, quæ nunc gerũtur, rebus. Heſterno die veſperi venerunt huc Riuiræ Dominus & Trelongius Aduocatus, qui tanquam rerum ſuarum cauſſa Roterodamum profecti, poſtquam explorarunt, ſiquæ rationes eſſent inſtituendæ pacificationis (quod quidem meo permiſſu fecerunt, cùm etiam Riuiri aduentus iſtinc haud ita pridem requiſitus eſſet) ſtudio boni publici (quantum intelligere poſſum) impulſi, laborarunt in eo, atq; obtinuerũt, quantum potuerunt. Verùm quod ad nos retulerunt, longè adhuc abeſt ab eo, quod fieri debeat, & hæc cauſſa poſtulat. Quamobrem ne in eo conſtiteris, ſi quidem pacem cupis, ad quam te omnem tuam operá collaturum promiſiſti. Nam neque titulus, quem in ſcripto mihi tradito vſurpãt, illis qui dederunt, competit, neque, quę allegantur defectionis cauſſę ad Regię Maieſtatis exiſtimationẽ pertinent, quanquam illi eam ſe conſeruare voluiſſe

asserant, quod sanè nullam rationem habet. Tum quæ illi in medium adferunt, quam sperabam, speciem non habent. Nam sustinere velle videntur, quæ à Regia Maiestate defecêre ciuitates, eas ita se gerere, quemadmodum bonos subditos erga suum Principem decet. Quocirca necessum erit, vt tu nobis aliud apportes consonum sermonibus, quos ea de re inter nos aliquoties habuimus: aut metuo alioqui, ne nihil agamus. Magnã equidem fiduciam habeo, te dexteritate tua effecturum, vt hoc negotium competenter, & vt par est, instituatur: quod etiam facile tibi erit, qua istic apud omnes auctoritate polles: si modò huc neruos intendere voles, quemadmodum pollicitus es, ergoque de te confido. Atque tu vicissim certò à me expertus, me nihil non facturum, quod quidem in me erit, vt hæc caussa bonum optatumque finem sortiatur. Quod restat Domine Santaldegondi, Deum oro, vt tibi sanam, prosperam, diuturnamque vitam concedat. Monforti 21. Iunij, Anno 1574.

Dominus Carnessius, & Dominus Iunius rectè valent.

LIBELLVS SVPPLEX ORdinum Hollandiæ & Zelandiæ ad Regiam Maiestatem.

E.

AVREI velleris Equites, Nobiles, & Hollandiæ Zelandiæque ciuitates, supplices declarant, se perpetuò veluti bonos fidosque subditos, in omnibus caussis fuisse morigeros, ac honorem omnemq; ministerij operam exhibuisse Regiæ tuæ Maiestati, eiusdemq; illustrissimis parentibus atque maioribus, quotiescunque ad sustentandam tuæ Maiestatis auctoritatem, magnitudinē, atq; dominia, eorum obedietia, obsequiū, atq; opera requisita fuerunt. Adeò, vt dubitare nequeant, quin anima tuæ Maiestatis inde magis sit accensa, vt ipsis in summa reipublicę trāquillitate, ac sub recta iustitiæ administratione suas leges immunitates atq; priuilegia conseruares. Quam viā quanquam sequi debuisset Dux Albanus, tanquā Maiestatis tuę nomine Gubernator: sub titulo tamen officij sui tam iniquā & violentā in Maiestatis tuæ ditiones & subditos, spirituales & sæculares, nobiles & ignobiles administrationē instituit, vt ipsi (supplices) conseruandorum suorū priuilegiorū, iuris, laudabilium veterū consuetudinum, ac immunitatum caussa, non sine graui dolore coacti sint etiam armata manu se opponere superbæ effreniq; dominationi eiusdem Albani, exteræq; eidē adherentis nationis, perniciosis innouationibus, mādatisq;, exactionibus & concussionibus publicā tranquillitatē euertentis: neq; alio ten-

dentis, quàm vt hasce Regiæ tuæ Maiestatis prouincias earundemque incolas suis subiiceret libidinibus, & in extremã paupertatem perpetuamque seruitutem coniiceret: non sine irrecuperabili tuæ Maiestatis dominiorumq; detrimẽto. Quod sanè ipsi (supplices) antehac publicè satis ostendêre, deque eodem protestati sunt: & de quo aliarũ quoq; prouinciarum Ordines suas quiq; separatim fecêre declarationes. Verùm cùm nihilominus in detestabili suo instituto perseueraret Albanus, non solùm hę tuę Maiestatis prouinciæ earundemque incolę implicatę sunt ingẽtibus mutationibus, tumultibus, belliquè calamitatibus: verumetiam regna, nationesq; vicinę omnino alienatę, graue odiũ indignationemque concepêre contra tam arrogantem fastum hominum exterorum, quorum hostilis animus in omnes hasce regiones tam manifestus esset: quam rem necessario insecuta est euersio commerciorũ, labefactatio artium mechanicarum, negotiationum, ac totius deniq; prosperi reipublicæ status. Cùm verò ipsi (supplices) nihil aliud vnqnam studio habuerint, ac necdũ habeãt, quàm vt pro viribus ad vtilitatẽ magnificentiamque Regiæ tuę Maiestatis, harum regionum bonũ publicum promouerent, ita vt bonos fidelesque subditos decet: deuotissimis animis Regiam tuam Maiestatem obtestantur, vt tanquam benignus pater beneuolè ac clementer respicere dignetur præsentem miserrimam calamitosissimamq; harum suarum ditionum conditionem, quò eędem ad concordiam reducantur, & instauratis com-

mercis in priſtinum ſtatũ reſtituantur: qua profectò re & Regiæ tuæ Maieſtatis magnitudo atq; dignitas ſupra modum augeretur: & ad eiuſdem tuę Maieſtatis permagnam vtilitatem incolarum commoda creſcerent, ipſorumque vetus proſperitas quaſi refloreſceret. Quod quia nequaquam fieri poterit, quamdiu nationes exterę in hiſce regionibus cum imperio erunt, tyrannidemq; exercebunt: cùm meliore conditione ſint republica turbulenta, pluſquam lucri ſentiant, quàm tranquilla beneque conſtituta: cùm item eędem, vt naturam ſuis commodis libidinibusque (quotidiana exempla docent) addictiores, quàm harum regionũ vtpote ipſis peregrinarum bono publico, hiſce motibus & bello auſam præbuerint: Vt igitur Regia tua Maieſtas efficere dignetur, vt exteri extra haſce prouincias prorſus diſcedant, eademq; tua Maieſtas conſtituto generali concilio omnium Ordinum harum prouinciarum in vnum legitimè conuocatorum, de ſententia eorundem libera, eum reipublicæ ſtatum conſtituat, in quo eædem prouinciæ, tuæq; Maieſtatis ſubditi, in firma concordia ſecuraq; tranquillitate extra omnes tumultus & pericula conſeruari poſsint. Quia inſuper (vt liberè dicatur id quod res eſt) ex productione diuturnitateq; huius belli haud temere aliud expectari poteſt, quàm depopulatio, vaſtatio, conſummataque ruina harum tuæ Maieſtatis prouinciarum: atque eô quidem magis, quod incolę magis indies magiſq; ſeſe armis dedere conſpiciantur, exercitiis artium negotiationumque ſuarum

neglectis, vt ad militarem licentiam naturâ procliues sunt homines: ita vt si longo armorum vsis exacerbationes, odiaq; subditorum tuę Maiestatis inter ipsos crescere contingat, omnino metuēda sit perniciosa diminutio atq; labefactatio commerciorum, omnium artium, mercaturæ, atque nauigationis, quæ tuæ Maiestati in irrecuperabile damnum cedat. Iidem supplices orant, vt hac re benignè clementerq; expensa, Regia tua Maiestas, primùm tam Hollandiam & Zelandiam, quā reliquas vicinas tuæ Maiestatis ditiones saltem externo milite exonerat: ac deinde tanquam factis induciis, hinc idde à cunctis hostilibus supersedendum curet: ita, vt commercia securè ac tutò redintegrari, & incolis harum regionum inter se reconciliatis, domum quisque suam & ad reliqua bona reuerti, ibidemque sine periculo considere posit. In quibus profectò ipsi (supplices) nullum officium fidelium deuotorumque Regiæ tuę Maiestatis subditorum, detrectaturi sunt. Atque hæc quidem si Regia tua Maiestas fecerit, &c.

EPISTOLA FRIDERICI Perrenoti Schampangiæ Domini, ad Ioannem Iunium Gubernatorem Verensem.

F.

DOMINE Iuni, Non sum hallucinatus, quando in discessu, te Dominoque Carnesio præsente, Santaldegondæ Domino dixi, me

valde vereri, ne nullum condimentum esset, quod scriptum, quod Roterodamo apportabat, in aula sapidum redderet. Cùm nanque ex quo in eam appuli, ad hoc vsque tempus diligenter, quomodo id caperetur, explorarim, omnium opiniones ab eo, quod à vestris partibus desiderabatur, tam remotas inueni, vt in eo nihil facere ampliùs ausus fuerim. Et quia mihi hoc consultissimum visum est, remitto tibi libellum supplicem hisce iunctum, eundem illum, quem vt iam dictum est, Santaldegondæ Dominus apportarat: ad quem illum remittere nolui, quòd nulla scripta accipere, nisi priùs perspecta, neque ad vos emittere, nisi eadem lege posit. Altera forma (vt satis ostendi) meo iudicio vtrisque partibus conuenientior fuisset. Tametsi enim, quod Santaldegondiùs apportarat, in modum libelli supplicis scriptum erat (quo modo subditos cum Principibus suis agere æquum est) non tamen in eodem ab Hollandis & Zelandis ita obseruatum est decorum, vt istiusmodi conditionis homines facere oportuerat. Cuiusmodi in primis est, quòd postulant, vt Rex arma ponat: & ne aliorum ministerio vtatur, quàm quibus ipsis visum sit. In quo profectò non considerant, in ipsius potestate esse, & capere & ponere arma, quandocunque expedire putarit. Ipse etiam cognitum habet, quid subditis, rebusque suis vsui futurum sit, & cuiusmodi homines pro illorum commodis in ministeriũ assumere debeat. E diuerso verò nulla ratione licitum est

ſubditis arma ſumere ſine iuſſu Principis, neque aſſumere exteros, quemadmodum Hollandi & Zelandi fecerint. Atque eo quidem grauius atque inexcuſabilius illud peccatum eſt, quod id contra ſuum Principem, ſiue eius miniſtros fecerũt: quod perinde eſt, cùm eos conſtituerit, vt ſe referrent, ſuoque loco eſſent, cùm ipſe vbique eſſe non poſſit. Verùm qui ita peccarint, fidere clementię Principum æquum ſit, ſimpliciterque eidem ſe ſubmittere: cuius loco veſtri illi à Rege poſtulant, quod omni ratione atque iure ipſi facere deberent: cùm ſuo motu & auctoritate arma ſumpſerint, Regiſque ciuitates occuparint, de quo mentionem nullam faciunt, vt neque de illis reſtituendis. Deinde & hoc ab omni decoro perquam alienum eſt, quòd ſubditi volunt cogere Principem, vt pro ipſorum arbitrio Ordines congreget, etiam generales, idque ex ditionibus, quæ quantum ad imperium, iuriſdictionem, iuſque municipale attinet nihil inter ſe commune habent: ſed tantummodo inuicem vicina, vnius eiuſdemque Principis imperio reguntur. Qui quidem Ordines aliquando vniuerſim coire permiſit, cùm ipſorum commoda, ſuæque res ita poſcere viderentur: ſed id ex mera benignitate, nequaquam verò quòd teneretur, fecit. Ita vt hic nihil aliud fiat, quàm vt eius benignitas in ipſius præiudiciũ vertatur: præſertim verò, quòd ex dicto libello ſupplice appareat, comitia Ordinum eò poſtulari, vt ipſi lex ponatur, ac tutelæ ſubiiciatur. De reliquis ſilentio præteritis, cùm ſatis ſæpe dixerim, mihi videri,

 Regem,

Regem, quantum ad ea, me latum quidem culmũ debere cedere, hîc nihil dicam. Atque hæc quidem satis apertè Santaldegondæ Domino explicui: nihilominus tamen, quo desyderio rapior, vt diuina ope in pacandis hisce prouinciis aliquid præstem: & quid ille acriter instabat, vt in cœptis pergerem: feci profectò qnantum potui: quanquam prorsus desperarem, me ea via quicquam effecturum esse. Quòd verò hæc non meliùs cesserint, ingenti sanè dolore afficior, cùm reipublicæ caussà, tum etiam eorum, quibus semper bene volui. Tum eius amicitiæ caussa, quæ mihi cum domo Santaldegondę Domini est, magnopere vellem, vt amplius in Comitis Bossuuij negotio effectum esset. Quandoquidem vbi hîc retulissem responsum, quod nomine Aurantiæ Principis Santaldegondæ Dominus mihi dederat: improbatum fuit, quòd ad meam intercesſionem illi permissum esset, ea de caussa eo proficisci, postquam eo bono Bossuuio nihil meliùs futurum esset. Atque hæc quidẽ, quæ mihi, postquam Montforto reuersus sum, euenere, perscribere tibi volui, vt de volũtate mea certus esse posſis, si fortè efficere queas, vt istinc alia proponantur ad finiendas hasce calamitates magis conuenientia. Precor denique Domine Iunij, tibi vt impertiatur Omnipotens, quod sit futurum salutare. Antuerpię 13. August. Anno 1574.

EPISTOLA IOANNIS IVnij Gubernatoris Verensis, ad Fridericum Perrenotum Scampangię Dominum.

G.

MI Domine, Haud ita nuper accepi literas tuas, tertiodecimo Augusti scriptas, vnà cũ libello supplice, quem Santaldegondæ Dominus ab Hollandiæ Zelandiæq; Ordinibus ad te Monfortum attulerat, quibus etiam eundem mox restitui. Illi verò hac de re non satis mirari potuêre, maximè cùm non intelligerent, rationes literarũ tuarum eas esse, ob quas eum in modum libellus ille reiici ac remitti deberet, qui alioqui fortè magni boni caussam præbere potuisset. Atque ideo cùm ita secum agi viderent; certè non vt cum subditis clientibusque Regis (pro quibus tamen optima fide semper se gessêre, quandocunque Regiæ Maiestatis ius, honor, aut dignitas in discrimen vocata fuit) sed potiùs vt cum profanissimis, qui terrarum vsquam esse possunt, siue Turcis, siue Iudæis: imò vt cum iuratissimis Regiæ Maiestatis hostibus: ideo (inquam) decreuêre, nihil se ampliùs boni expectare debere ab iis, qui eo modo ad ipsorum ignominiam & perniciem, Regis abuterentur nomine. Quin & hoc pleno decreuere concilio, quicquid reliquum fortunarum est, deinceps expendére velle, aliasque rationes inquirere, quibus se in posterũ muniant, tutosq; reddant, contra tam barbaram iniuriam atque tyrannidem eorum, qui cupiditates suas pallio atq; nomine Regię Maiestatis tegunt. Attestantur etiam

Deum atque homines, postquam ad Regiæ Maiestatis aures nullũ aditum habeant, excludanturq́; ea via, quæ etiam proditoribus perduellibusque quos sol conspexit, sceleratissimis, diuino humanoq́; iure semper patuit, se tam effræni malitia tyrannideq́; coactos, quæsituros, arrepturosq́; istiusmodi salutis conditiones, cuiusmodi Deo optimo Maximo suppeditare videbitur. Rogant autẽ te, vt apud quoscunq; testis esse velis, ipsos libellũ illum exhibuisse, itaq; officio suo functos esse: & simul vbicunq; opus erit, ipsos excusare, ea tenusq́; caussam eorũ defendere. Et vt caussas rationesque querelæ ipsorum intelligas, & quamobrem remissione libelli illius summa se iniuria affectos existiment: visum est inde ab initio in modum cõmentarij conscribere præcipua capita ipsorum in tuas illas literas querelæ: quę ad te pridem misissem, nisi tabellarium tuum, qui responsum meum ad te absportaturus erat, indies expectassem. Qui vbi tandem venit, quin illa per illum acciperes, committere nolui. Peto autem abs te, vt eas rationes contra tuas literas, quas vnà mitto, ab illis productas, diligenter trutines & excutias: vt tamen hoc scriptum boni publici studio, tuique amore priuatim à me editum, dictis Ordinibus ac ciuitatibus, eorúmue decreto non sit fraudi. De cætero me ad commentarium meum refero, cuius tu prolixitatẽ excusatam habebis, eandemq́; aut mihi tanquam parum idoneo, aut rerum, quæ mihi tractantur, difficultati imputabis: ac me tuæ beneuolentiæ, etiam atque etiam commendo.

COM-

COMMENTARIVS IOANnis Iunij Gubernatoris Verensis, in epistolã Friderici Perrenoti Scampangię Domini, sub signo F. supra positam.

H.

MI Domine, Primùm illud, quod literæ tuæ habent, intellectu mirum videtur, *Omnium nempe illius aulę opiniones tã remotas fuisse ab eo, quod nostri desyderabant, vt in instituto tuo non fueris progredi ausus*. Nam verisimile non sit, te (quem semper pro eo habui, atque etiamnum habeo, cui nihil æquò cordi sit, atque Regis prosperitas, reique publicæ tranquillitas: quod quidem etiam istiusmodi viri, qualis tu es, & nobilis & Domini, præcipuum officium est) in tam præclaro instituto, in quo & Regis emolumentum, & tranquillitas salusque omnium harum regionum tantopere vertitur, cessim isse tergiuersatumque esse ob opiniones exiguæ in aula auctoritatis hominum: quod etiam si vel suspicarer, magno liberoque, quem in te animaduerti, animo, ac verò etiam quam Regi debes fidei, iniuriam facerem: sequitur, vt opiniones, quarum mentionem facis, processerint à supremi Consilij hominibus, atq; adeò ab iis, à quibus prorsus dependet Rex, quorumque humeris harum regionum gubernaculum imposuit. Qui quia iureiurando obstricti sunt, vt Regi reuelent, quicquid ipsius magnitudini, existimationi, emolumentisue aliquo modo fraudi esse posse intelligerent: in mentem nobis venit, persuasumq; habemus, te nunquam cum illis de huiusmodi rebus

communicaſſe, niſi priùs plene intellexiſſes, poſtquam eæ res ipſis innotuiſſent, porrò eaſdem ad notitiam Regis, aut ſaltem eorum, qui in eo ſummam ab illo auctoritatem & poteſtatem haberet, neceſſariò eſſe deuenturas. Quo ſane factum eſt, vt coniicere nequaquam potuerimus, quid tibi eum metum iniecerit, vt libellum illum exhibere auſus non fueris, quem ad illorum notitiam peruenturū ſcires. Atq; eô quidem magis, quòd vt plurimùm iſtic arguatur confœderatorum nobilium factum, qui anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſexageſimo ſexto Duciſſæ Parmenſi ſimilem libellū porrexerant, quòd non potiùs conſueto modo vſi eſſent, eumque per Ordines, aut quempiam ſummæ in aula auctoritatis porrigendum curaſſent. Quos, aiunt, nec tanto numero, nec eo modo venire oportuiſſe. Quam tu culpam hoc tuo exemplo eluere videris, cùm ſatis oſtendas, haudquaquā conſultum eſſe, ne ſummæ quidem auctoritatis homini (qualis vtique tu es) exhibére in aula libellum ſupplicem, quem eius palatum non ferat: ſed expedire potiùs remittere, quodcunque tandem periculum obuenturum ſit, quòd debitè ſuo tempore exhibitus nō fuerit. Quòd ſi fortè dicere voles, te eum cū nemine communicaſſe, ſed ſolummodò eminus vadum tentaſſe, quomodoque acciperetur exploraſſe: id proſpectò neutiquam cōuenire videbitur cùm vehementi illo deſyderio, quo te ad Regis magnificentiam harumq; regionum bonum ferri conteſtatus es. Et meo quidem tenui iudicio dubium eſſe non poteſt, ſi cùm hoc

modo

modo tantùm exhibere veritus fueris libellum, cuius tantopere & Regis & harum omnium regionum interest, in posterum harum rerum exitus frustrentur eorum expectationem & spem, quorum tu opiniones eminus explorasti: quin in omnem posteritatem magnum tibi vituperiū & infamiam consciueris, qui citra aliam caussam tanti momenti libellum reieceris, atque remiseris. Ad quem etiam quanquam fortasse nihil decernendum erat, potuisset id tamen palam apertè declarari, vt tu certè, tuo motu & Regem & omnes hasce regiones priuare non debueris tanti ponderis occasione, & modo pro arbitrio deliberandi de rebus, pacem publicam spectantibus. E diuerso verò, si qui in aula summa in auctoritate sunt, ipsumúe supremum Regis consilium, cùm libellum illum vidissent, communicare eum cum Rege noluissent: minimùm se communicare nolle, ei asscribere tenebantur, aut saltem meliùs suo uos consilio instruere. Vt autem eo modo suo motu, quod vnius Regiæ Maiestatis erat, facerent, nequaquam ipsis conueniebat. Præsersertim cùm ipsius etiam Regis existimatio in eo non mediocriter læsa sit: vtpote qui priusquam harum regionum Princeps aut Dominus pronuntiaretur, se nunquam libellos supplices precatoriásue denuntiationes, quales quales illę demum essent, subditorum clientiumúe suorum, nedum ciuitatum integrarumúe prouinciarum, tenuturum reiecturumúe esse solenni iureiurando promiserit. Cùm item iuri gentium repugnet, siquis

ſiquis Rex, in quem populus omnem ſuam poteſtatem contulerit, vt ab eo ſecundum ius & æquum regatur, ſuæque querelæ audiantur, eas reiiciat, & ne audire quidem velle præ ſe ferat. Quod ſanè Imperator Hadrianus rectè intellexit, quanquam paganus eſſet, nullamque veri Dei cognitionem haberet, qui in itinere à paupere muliercula rogatus, vt traditum à ſe libellum ſupplicem legeret, cùm ad id ſibi otium non eſſe reſpondiſſet, illaque ſi ad legendos libellos ſupplices ipſi otium non eſſet, multò magis ad imperandum, vt quod ſine eo non ſubſiſteret, ei otium non eſſe debere, contrà ſubiecisſet: ſe iure perſtrictum ſentiens, illico culpam agnouit, & attentè libello lecto, prout ius poſceret, de cauſſa eius ſtatuit. Vnde manifeſtum fit, eos qui impedire ſuſtinent, quò minus Rex ſubditorum ſuorum, atque adeò integrarum ciuitatum ac prouinciarum libellos ſupplices percipiat aut intelligat, eum coram Deo atque hominibus culpabilem reddere, tanquam qui peccet non ſolùm contra ius gentium, quo omnes Principes ſubditis ſuis obſtricti ſunt: verumetiam contra officium Principis Chriſtiani, adeoque contrà iuſiurandum ſuum: quibus nominibus ille ampliùs ſubditis deuinctus eſt, quàm Hadrianus. Verùm quia tu cauſſas prætendis, ob quas hanc rem iudicio Regis non committi debere videatur: quæſo te, quod illæ momentum habeãt, vt Hollandis Zelandiſq; perſuadeãt, ipſos intolerabili non affectos eſſe iniuria, & Maieſtatẽ

auctori-

auctoritatemque Regis Hispaniarum, sui Principis, quatenus Hollandiæ Zelandięque Comes est, non modò non grauibus damnis inuolutam, sed extremo etiam contemptui non esse expositam. *Tu ais, illos velle, vt Rex se exarmet.* Certè si ita sese res haberet, dicere adhuc possent, se vt subditos cum fiducia Regi supplicare non posse, quamdiu ille arma manibus teneat, quibus illos dilaniandos conficiat, quamprimùm coram illo se demiserint. Nam quæ insania sit, scientes prudentesque iugulos secandos præbere? Sed si contra ipsos armatus non est, nunquam vt se exarmet, desyderabunt: at si armis ipsos petat, iam non ipsorum Rex, id est pater & pastor, sed perniciosus hostis est. Verum enimuerò Deus auertat, vt Hollandi Zelandique, cùm Principi suo semper fidi fuerint, eundemque clementē semper erga se benignumque senserint, hanc suspicionem concipiant, in perniciem ipsorum armatum esse Regem, cùm tamen nunquam aut audierit, aut intellexerit ipsorum querimonias. Quid ergo rei est? Conqueruntur illi grauiter, exteros quosdam, qui Regem, neque sanguine, neque affinitate contingunt, neque, quare hisce regionibus bene velint, vllam causam habent, in easdem tamen sub nomine Regis venisse armatos, inibique exercére tyrannidem plusquam Barbaram Turcicámue: qui etiam suo motu contemptis mutuis sponsionibus solenni iureiurando a Rege confirmatis, contra omnem antiquam republicæ formam, legumque vsum: contra ius municipale, ac priui-

legia: denique contra auctoritatem omnium magiſtratuum, ac publicorum Regiæ Maieſtatis miniſtrorum, mare in rempublicam innexerint rerum nouarum. Ac ſupplices iidem Regem orant, vt ſua auctoritate illos arma ponere atq; diſcedere cogat, ſimulq; faciat, vt eadem hîc reipublicæ adminiſtratio ſit, quę tempore maiorum eius fuit. In quo tantùm abeſt, vt Regiæ Maieſtatis auctoritatem minuant, vt eandé magis extollere non poſſint: cùm eo pacto Regem ſolum pro Principe ac Domino ſuo agnoſcant, qui ipſe imperare abſolutè, ſubditoſq; beneuolentia, benignitateque, tanquam noui cuiuſpiã ſolis radiis, reficere atq; exhilarare poſsit. Quæſo autem te, quomodo ſtabilire velis, non dico modum aliquem pacis, ſed vel ſpeciem aliquam fictæ, doliſq; conſutæ tranſactionis, niſi illi ante omnia arma deponant, extraq; haſce prouincias concedant? Niſi forte exiſtimas, ſolam vnicamque hanc pacis rationem ſupereſſe, vt harũ prouinciarum incolæ mittant exteros in plenam poſſeſsionem omnium rerum ſuarum, mobilium & immobiliũ, vxorum & filiarũ: & tanquam hoc ſatis non ſit, ſimul eoſdem rogent, vt omniũ iugulos recidant, neque vnquam manũ capido dimoueãt, quandiu ex ipſis reſtabit vel vnus. *Sed dicis tu, poſtulare illos, vt Rex nullos alios in miniſterium aſciſcat, quàm quos ipſi velint.* Atqui nunquam conſtabit, eos tam dementes eſſe, vt vel cogitarint, Regi nõ conuenire contra quoſcunq; hoſtes ſuos, cuiuſcunq; modi ſint, bellũ gerere, eoq; qualicunque milite, quantoq; videbitur numero vti. Neq;

tam imperiti rerum sunt, vt in istiusmodi negotiis quicquam præscribere Regi velint. Sed supplices orant, ne ciuitatibus ditionibusq; Regis, eiusque subditis bellum inferatur per exteros odio, libidinibusq; suis instigatos: ne itē permittatur Hispanis, Italis, Heluetiis, nonnullisq; aliis exteris inter sese prædæ instar dispertiri ditiones Regiæ Maiestatis hæreditarias: ne deniq; ipsi, bona, vxores, & liberi in prædam dentur, hominibusq; barbaris in horribilem mancipentur seruitutem. Quod sanè nullo modo sonat, quasi velint, vt Rex se exarmet: qui etiam, si in hisce partibus bellum gerere velit, tantum militum ex indigenis cogere possit, vt neque equitem neque peditem, nihilq; neque terra neq; mari desyderaturus sit, facileq; quibúsvis hostibus resistere, eosdemq; etiam domare valeat. Quod probari potest exemplo maiorū eius, Ducum Burgundiæ, harumq; regionū Dominorum, qui quanquam nullorū exterorū, siue Hispanorum siue Italorum, opera vterentur, non propterea tamen inermes fuêre. Sic & Carolus Audax quandiu subditis suis fidens, Burgundiones tantummodo, harumq; suarum ditionum incolas in militia sibi adhibuit, prosperè semper victoria potitus est, nomenq; suum vicinis omnibus reddidit formidabile. Qui idem contrà, vbi plusculū fidere exteris cœpit, & Campobassum cum Italis, aliisque similibus sub militaria sua signa admisit: continuò Fortunæ rotam verti sensit: & siue proditione Campobasi pecuniis fortè corrupti, siue quo alio id euênit modo, duobus diuersis præliis supe-

ſuperatus, tandem in tertio ad Nanceium vitam amiſit, & omnem quam ſubditi pararant ipſi gloriam. Ac verò ſi tam illicitum eſt orare Regem, vt in bellis, quæ in hiſce partibus geret, eorum tantummodo miniſterio vtatur, qui harum regionū incolę ſunt: quamobrem idem reliqui harū regionum Ordines vniuerſi, Bruxellæ Ludouicum Requeſenum Regis Vicarium, rogarunt? aut qua ratione ſupplex eorū libellus receptus eſt, cùm eandem iniquitatis, ac cōtra Regiam Maieſtatem rebellionis continuerit cauſſam? Nam quantum ad me attinet, quod dicis, *In vnius Regis poteſtate eſſe, vt aut capiat, aut ponat arma, quandocunque expedire putauerit*: in eo ſanè accuſare videris maiores noſtros, atque adeò Regiæ Maieſtatis deceſſores, qui ab omni memoria ſolenni iureiurando harum regionum Ordinibus promiſère, ſe ſine eorum conſenſu nullum bellum inchoaturos, neque inchoatum finituros. Quę profectò res, quandiu mundus conſtitit, ab omnibus Principibus, Regibus, atque Imperatoribus, qui quidem tyranni haberi noluerunt, arctè obſeruata fuit. Poſtquam enim nō modò belli ſumptus, verumetiam omnia eius incommoda, damna, aliiq; caſus ferè in populum cadūt: profectò ratio æquitaſque naturalis poſtulant, vt eiuſdē capita, qui alibi ſunt Magiſtratus, alibi Ordines, alibi prouinciarum Conſilia, adhibeantur in conſiliū, cùm bellum erat aut ſuſcipiendum aut finiendum. Niſi ſiqui Principes imitari Xerxen velint, qui inſtitutis comitiis Ordinū, Principum, ac Magiſtratuū Perſidis ad deliberandum de bello, quod cōtra Gręciā gerere cōſtituerat, ante omnia

proteſtatus eſt, ſe ea comitia non habere, vt conſultatio aliqua habeatur, ſed vt quod ipſe apud ſe iã decreuerat, & intelligatur & approbetur. Equo ille quidem non modò tyrannus habitus eſt, ſed perpetuo etiam ſe opprobrio atq; infamia inuoluit, & tantùm non omnia ſua perdidit. Sed hîc non agitur, vt Regi præſcribatur, quæ bella, quando, aut quomodo gerere debeat. Declaret ſaltem Rex, quando, & contra quos bellum gerere velit, & Hollandia Zelandiaque non modò illi non repugnabunt: verumetiam ſanguine ſuo mediũ fortunis opem illi ferent: quemadmodum & ipſi & maiores ipſorum ſemper cùm ipſi Regi, tum etiam eius deceſſoribus fecêre. Verùm agitur hîc de bello ipſius Regis ditionibus inferendo: de vaſtandis dominiorum eius terris, & prouinciis: de expilandis, ſpoliandis, & ad internecionẽ perdendis clientibus eius, & ſubditis: breuiter, agitur hîc de bello ipſi Regi inferendo: cùm ſine clientibus & ſubditis nemo Rex eſſe poſsit. Et ſcilicet tu vis tamen, ne Hollandi zelandiq; os aperiant, omniq; cum reuerentia Regi ſupplicent, vt hoc bellum tam & ipſis, & eius Maieſtati exitioſum: tam coram Deo abominabile: tam deniq; omnibus bonis deteſtabile, ſua tandem auctoritate & iuſſu finiat. *Dicis, Regem ſcire, quibus rebus ſubditis opus ſit.* Quid igitur? Itá ne conuenire putas, vt Regis ſubditi ab exteris expilentur, ſpolientur, trucidentur, ipſorũ agri vaſtentur, hæreditates euertantur, vxores & filiæ conſtuprentur, ac liberi in ſeruitutem abducantur? Id ſi æquũ eſt, vt Regis ſubditis fiat, longè profe-

profectò meliore conditione sunt, qui tyranno parent, quo terrarum orbis deteriorem non tulerit. Sin verò, vt profectò id nullo modo æquū est, necesse est, vt id Rex ita non iusserit, postquam quare illis opus sit, quidq; ipsis conueniat, tam bene intelligit. Quod idem necessariò sequitur, optimā illos rationem habere, quare Regi supplicent, vt exteris discedere iussis, tantis malis finē imponat. Quibus argumentis si tu fortè securū iniicere velis, ac dicas, cùm contra suum Principem in armis illi sint, non haberi debere pro subditis (vt hęc res, ceu nimis longa & molesta, in disquisitionem non vocetur) paucis hoc tibi responderi poterit, cùm illi per libellum suum supplicem se Regi submiserint, an rebelles sint, te eius iudicio relinquere debuisse: non verò libellum remittere, itaq; & Regi rectè iudicandi, & ipsis se purgandi omnem viam pręcidere. Iam quantum ad axioma tuum attinet, videlicet: *non licere subditis, arma sumere sine iussu Principis*, Videtur id nostris hominibus, qui quidē alicuius iudicij sunt, istiusmodi esse, vt quia nimis generale est, subsistere nequeat. Nam si absente Principe subita hostiū irruptio fiat, non existimo, te tuo axiomate tanquam lege differri velle, vt arma capiantur, donec omnia oppressa atque euersa sint. Cùm si istud sustinere velis, Burgundiæ Ducibus Regiæ Maiestatis maioribus, periurij proditionisque maculam inuras, quòd cùm Regis Franciæ clientes essent, ipsumq; sanguine arcte contingerent, quin & beneficio, quod Franciæ Regibus in solos fratres permissum est (appanage vocant

affecti essent: non solum eius iniussu, verumetiam contra ipsius personam & regnũ arma vsurparint. Nemo certè mihi persuadeat, quin Philippus Bonus officium fidelis clientis & subditi habuerit cognitũ, quando vlturus morté patris sui Ducis Iohannis, qui antea Ducem Aurelianũ fratrem Regis Domini sui trucidandum curarat, pellexit in Franciam Angliæ Regem, illumq; vrbis Parisiorũ bonęq; totius regni constituit Dominũ. Qui profectò nunquã obtinuisset cognomé Bonus, multoque minus in omnem posteritatem istiusmodi reliquisset nominis sui gloriam, si quam fers legé, tam latè patuisset, atque tu vis. Et filius eius Carolus Audax, quando in armis erat contra Ludouicum Vndecimum, eumque ad Montherelij arcem non mediocri clade affecit, num ignorauit, clientibus arma sumere non licere citra auctoritatem iussumque Domini? Secundum tuam etiam legem Rex noster iniuria possidet Burgundię Comitatum, qui ab eodem Ludouico sub mortem Caroli hoc nomine occupatus fuit, quòd cliens contra Dominum arma gesserat. Verùm quoties visum est, & tanquam rationi consentaneum approbatũ, cùm clientes priuatim, & ciuitates prouincięque vniuersim, non solùm citra iussum Domini, verumetiam contra illum ipsum arma sumpsissent: neq; tamen tua lex, aut axioma aduersus quas illi facti sui rationes defensionesque proferebãt, momentũ aliquod habere potuerit? Vnde necessariò sequitur, illationé tuam vitiosam esse, cùm ex axiomate illo asseris, *Hollandos Zelandosq; facinus commi-*

commisisse inexcusabile, quòd arma cōtra suū Principem sumpserint. Debuisses enim primū ostendisse rationes defensionis illorū non subsistere, aut minimū ad tuendam eorum caussam non sufficere: atq; tū demū illationi tuę meliorem colorē inducere potuisses. Sed videri potest, ne ęquitas caussæ ipsorū in lucē, aut ad Regiæ Maiestatis veniret notitiā, te suppresisse remisisseq; bellum illorū supplicē, reiecta in aulicos caussa, vt quorum opiniones ab eo quod illi vellēt, inuenisses remotas. Verùm quæso te, si illi dicant, se nō solummodo arma non sumpsisse contra Regem, sed etiam non citra eius auctoritatē & consensum, videturne tibi illos purgare posse iusiurandū ipsius Regis, & manifestū illud Inaugurationis caput, quo ipse disertè iubet, nequa sibi obedientia præstetur, priusquā restituerit, atq; emendarit, siquid aduersus Inaugurationē cōmissum sit? Præsertim cū absente Rege exteri eius nomine non solùm aliqua Inaugurationis capita euerterint, verumetiam eam totā pedibus conculcarint: quam tamen Rex Brabantiæ Ducatui, qui harum omnium prouinciarū caput est, se exactissimè obseruaturum, sanctè iureiurando pręstito recepit. Quod autem ad id attinet, quod dicis, *contra ministros Regis, aut contra Regem ipsum arma vsurpare, perinde esse*, non possum quibus id rationibus nitatur, ne somniare quidem: cùm Rex ipse quando inaugurararetur, magis cum iureiurando promissis factis, disertissimis verbis promutauit, Quicunque secus, ac ferret Inaugurationis commentarius, creatus aut magistratus aut

minister publicus esset, aut deinceps crearetur, aut secus etiam faceret: is re ipsa non talis, sed prorsus priuatus esset, sine potestate & honore vllo. Ita, vt Rex ipse istiusmodi destituat, nobisque ad resistendum illorum iniquitati & violentiæ, arma in manus tradat. Quòd si tu exceperis, id quidem apud Brabantos locũ habere, apud Hollandos verò & Zelandos non item: certè necesse est excusatos habeas Dominum meum Aurantiæ Principẽ, omnesq; natione Brabantos, qui illi militant, eiusùe partes sequuntur, quòd pro Regis ministris, qui iusiurandum & contractus eius violarunt, non agnoscant. Et cùm illi, illos agnoscere, nõ tenerẽtur, & contra eosdem ipsis arma sumere licitũ esset: optimo iure occupare potuère & ciuitates & prouincias, quæcunq; boni publici caussa ad ipsos inclinarent. Quantum igitur ad Hollandos & Zelandos attinet, nullum illis hac in re peccatũ aliud ascribi potest, quàm quòd Brabanti non sunt. Haud enim te vnquam inficias iturũ credo, quin Regis illi ministri, contra quos arma mota sunt, omnia penè Inaugurationis capita partim violarint, partim conculcarint pedibus. Et vt id ita se nõn habeat, quis tam obtusi visus est, vt Regem hac in re ligatis esse manibus non videat? Quin & ipse confiteberis, Regem in omnibus negotiis Ecclesiasticis ac religionem attingentibus, Pontificis, Legatorum, ac Vicariorum eius obedire teneri iussionibus. An quisquam est, qui ignorat, quæ mãdata nouis Episcopis data sunt ad extirpãdam hanc nostram religionem, quam vos pro noua ha-

ua habetis, ea à Pio Quarto ad ſolicitationẽ Sonnij eſſe fabricata? Eundemq; Sonnium in eum finem tribus quatuorúe annis fuiſſe Romæ, indeq; huc traduxiſſe eorum motuum atque calamitatũ, quas nunc experimur, ſeminarium? An notiſsimũ non eſt, Pontificẽ imperaſſe Regi, vt in hiſce prouinciis publicanda curaret decreta Concilij Tridentini, quibus ſe oppoſuerint Ordines vniuerſi, tam Eccleſiaſtici, quàm Sæculares, vt quæ vim inferrent vetuſtis noſtris legibus, conſuetudinibus, ac priuilegiis à Rege iureiurando confirmatis? Breuiter, qui nobis hanc tam cruentam tragœdiam in theatrum produxêre, ſúntne creaturæ Pontificis? Quis item ignorat, apertè in Decretis ſuis iactare Pontificem, Reges Principeſque omnes diademata ſceptraque ſua ipſi ferre accepta, & omnino in omnibus obſequi iuſsis ſuis debere? Accepimúſne à maioribus noſtris, quomodo Romani Pontifices, quicquid videretur, pro arbitrio imperarint potentiſsimis Imperatoribus ac Principibus orbis Chriſtiani? quomodo eoſdem diris denouerint, atq; anathemate ferierint, quandocunq; obtemperare recuſarent? Vnde originem traxerunt atrocia cruentaq; illa bella, quæ tres Henrici, duo Friderici, Philippus, multiq; alij Imperatores contra Pontifices Romanos geſſêre? niſi quòd boni illi Principes ad primum Pontificum nutum parati non eſſent, ſiue expeditionem ſuſcipere in Saracenos; ſiue renuntiare iuri clientelarum, quas à maioribus ſuis Caroli Magni poſteris iure haberent hæreditario: ſiue mittere Pontifices in poſſeſsionẽ

ditionum ciuitatúmue quarumpiam, quas illi ex D. Petri patrimonio ad se esse deuolutas asserebāt: siue deniq; aliquid aliud facere, quodcunque illud demum esset: quarum rerũ plenissimæ omnes illorum temporum sunt historiæ. Quid caussæ fuit, quamobrem Alexander Pontifex Friderici Barbarossæ ceruici publice pedem impresserit, idq; cũ elogio indignissimo ac longe teterrimo? Quorsum item hodieq; Pontifex pedes suos deosculandos obtrudit Regibus summisque Principibus, nisi vt obedientiam sibi ab illis deberi ostendit? In qua si illi cessauerint, mox in illos anathematis fulmina expedit, clientesq; ac subditos eorũ, quo illis obstricti sunt, iurisiurandi religione liberat. Posteaquam igitur Rex obnoxius est Pontifici, quē nos pro Principe nostro agnoscere nullo modo possumus, eiusq; fulmina & execrationes metuit: quomodo tu dicere aut credere potes, Regi merũ liberumq; imperium esse, vt quæ velit, & iubeat & faciat, idq; in caussa, cuius cognitionē constitutionemq; sibi vni Pontifex vendicat? Quæso te, si à Rege exercitiũ nostrę religionis petamus, isq; fortē de eius veritate edoctus, id nobis concedendũ putet, existimásue id in eius potestate fore? Tu ipse mihi disertis verbis dixisti, si Rex tale aliquid permitteret, ipsum te contra illũ arma sumpturũ, conaturumq; pro viribus, vt & omnes hæ prouinciæ contra illũ arma sumeret. Quod sanè quin dixeris, cũ Monforti vnâ essemus, inficias ire non poteris. Vbi est igitur voluntas & iussio libera Regis? vbi Maiestas eius? imò, vbi libertas eius? Vbi verò etiã

heret

hęret axioma tuũ, quo nemini ſubdito iniuſſu Domini armari permittis? cũ cliẽs vnus omnes Ordines ad rebellionem pertrahere vult, ſi Princeps aliquid ſecus faciat, quã ipſe velit? Verùm hoc vehementi tuo in religionẽ Romanã ardori condonabimus, modò noſtrũ in Euangelicã atq; Apoſtolicam religionẽ non minorẽ eſſe memineris: quanquã fortè hęc ingenio humano tam plauſibilis nõ ſit, nec propugnatoribus ęquè vtilis. Sed vt ad Pontificiũ arrogantiã reuertamur, habemus & de Carolo Quinto nunquã ſatis laudato Principe, perilluſtre exemplũ, quomodo nempe parũ abfuerit, quin a Paulo Tertio eccleſię cõſortio priuatus fuerit, quòd Germanis religionis formam, Pontificiũ Decretis propemodũ per omnia conſonã (cui Interim datũ nomẽ eſt) ſuo motu & auctoritate cõceſſiſſet. Et quæſo te, qui tumultus fuerint, cũ idẽ Carolus vellet, vt in Germania Conciliũ vniuerſale liberũ haberetur, in quo Germani audirentur? Poſtremò, coëgitne eundẽ Carolum Pontifex, vt bellũ Proteſtantibus faceret: & ni accelararet, cõminatúſue ei ſępe ſua fulmina eſt: ita vt bellũ illud rebellionis velò tegere neceſſe habuerit, quò Ducẽ Mauritiũ nõnulloſq; alios Principes, qui in Smalcaldico fœdere erãt, in partes ſuas pertraheret? De Hiſpanicæ Inquiſitionis Magiſtris, Eccleſiaſticiſq; Regis Conſiliariis, hìc nihil dicam, vt qui omnino Pontificis creaturę ſint, eiq; ſolemniter iuſiurandũ prę ſtiterint, ſe nihil vnquã quod Sedi Rom. fraudi eſſe poſsit, ǫmiſſuros eſſe, ſed illi reuelaturos, atq; quoad eius poterũt, impedituros. Et cũ illi Reg. ita

poſsi-

poſsideant, vt nullo prorſus modo contra ipſorũ voluntatem & opinionẽ hac de re decernere quicquam poſsit, niſi apud Pontificẽ perduellionis crimẽ incurrere velit: quam (quæſo) rationem habet, quòd nos Regi bellũ facere, dicis? Semel Pontificis Pontificiorumq; auctoritatem tollas, atq; huc rem deducas, vt Rex aut ipſis non ſubſit, aut ſaltẽ nos illorũ legibus non parêre, æquo animo ferat: & mox videbis, quàm alacribus, animis Regi, vt Principi noſtro, & ad hoc, vt ius nobis adminiſtret, diuinitus vncto, omnẽ præſtituri ſimus obedientiã. Quod ſi tu rationi conſentaneũ eſſe non arbitraberis, voleſq; Regem noſtrum voluntati & arbitrio alterius ſubiicere: ne mireris, ſi cùm requirimus, vt nulla alterius lege admiſſa, ille nos ſua auctoritate imperioq; libero gubernet, nos aduerſus illum rebelles non eſſe, affirmemus.

Ad alterum epiſtolę tuę pręcipuum caput nunc venio, in quo primò dicis, *Longè alienum à ratione eſſe, quòd cogere Principem ſubditi volunt, vt pro ipſorũ arbitrio Ordines congreget*: de quo illi longè magis mirati ſunt: vtpote quibus te latêre nõ poſſe conſtet, Regem ipſum ſcientem prudentem ſe ad id obſtrinxiſſe: quippe certam baſim atq; ſuſtentaculũ Regalis ſuæ tum auctoritatis tum potẽtię. Poſtquam enim Ordines in republica bene conſtituta nihil ſunt aliud, niſi capita & primores populi, qui corpus ipſum multitudinis repræſentãt: quid ęquè natura coniunctũ cum bono Principe eſt, qui populi & pater & paſtor eſſe cupit, atque Ordines? Quemadmodum enim cum capite corporis hu-

mani

mani nihil æquè conuenit, atque membra, quæ vitalia vocantur : idq; ideo, quòd præcipua instrumenta sint, quorum opera spiritus vitalis à cerebro procedens, per neruos & venas cum toto corpore vniuersim, & cum vnoquoq; membro particulatim sese communicat: quorum item opera vnumquodq; membrũ naturalem suam coagmentationem cum corpore retinet : eũdem ad modum bonus Princeps seu populi caput, Ordinum opera vniuerso reipublicæ corpori impertitur, non modò beneuolentiam, benignitatemq; suam & priuilegia, quibus illud in sua colligatione sustinet: sed suam etiam bonitatem, iustitiam, & prudentiam, vnde, tanquam ex viuo fonte, bonæ scaturiunt leges, quibus populus in bona disciplina & concordia, veluti in naturali sua subsistentia atque vita continetur. Qua de caussa maiores nostri, prudentes sanè homines, rerumq; politicarum bene docti, optima ratione constituêre, vt ante omnia Princeps cum Ordinibus arctissimè coniunctus esset: neq; quicquam, quod alicuius momenti esset, nisi cum eorũ consensu faceret : illiq; vicissim de omnibus rebus ad Principem, tanquam ad ipsorũ diuinitus constitutum caput, referrent. Atque hinc quidem ingens ille amor, quo harum regionum Principes & populi se mutuò amplexi sunt, incredibilisq; illa fides, qua se inuicem fouerunt, originem traxerunt. Cuius amoris & fidei præclarum specimen in Duce Philippo Bono extitit, qui primus hasce Belgicæ prouincias ferè omnes quasi in vnũ corpus cõiunxit, multaq;, quę ad firmitatem perpe-

perpetuitatemq; concordię quã inter Princip ẽ & subditos esse conuenit, facerent, constituit: amari paterq; patrię appellari cupiens potius, quã metui & formidari: vt qui amorem firmum fundamentũ fidelemq; custodẽ gubernationũ potentiæq; esse, perspectũ haberet. Vnde sequitur, detestãdos omnino esse, atq; pro pestibus publicis habendos, qui vt indignis seruilibusq; adulationibus se magnos facerent, se auctoritatẽ Principũ tueri velle simulãtes, postmodũ ad aures eorũ cecinêre, atq; in consiliis hanc sententiã dixêre, Quicunq; de vniuersali congregatione Ordinũ loquatur, eũ capiti Principis diadema auellere. Quandoquidẽ auctores omnis tyrannidis, oppresśionis, atq; insolentiæ sunt: perturbatores itẽ publicę pacis: ac deniq; Dei hominumq; iurati hostes: quantumlibet sibi prudentiã, rerumq; politicarũ experientiã ascribant: neq; secus faciunt, quã siquis membra vitalia à capite auellere velit, eademq; naturalibus suis actionibus atq; efficacia priuare, caput tũ meliùs habiturum, prætendens. Videntur quidẽ illi ad tempus fulfulcire potentiam Principis, dũ formidabilem potiùs populo, quàm amabilem illũ faciunt: sed tandem perniciei simul Principis, simul totiùs reipublicæ caussa existunt. Cuius rei luculentisśimũ exemplũ Franciæ Regnum nobis suggerit, cuius stupendia calamitas & interitus non aliunde abortus est, quã ex abrogatione & reiectione eius, quod ab vniuersis Ordinibus constitutum erat: & quòd Rex instigaretur, vt nullo respectu populi, eorumue qui populum referrent, habito, pro arbitrio imperium

riũ exerceret. Atque vtinã misera nostra patria ex tam vicino splendidoque speculo cautior facta, ne in eadẽ incommoda incideret, euitasset. Sed peccata nostra omnem iam modũ exuperantia, nobis perniciem accelerarunt, iis qui clauo asſiderent excæcatis, qui Principibus persuadebant, in eo interitũ eorum consistere, si vniuersi Ordines cõuocarentur, vt communi cõsilio de rebus publicã tranquillitatẽ spectantibus statuatur. Quòd si ab initio, antequã horum motuũ faces accensę essent, prout cõfœderati nobiles porrecto libello supplice a Regia Maiestate requirebant, ad hoc remedium decursum fuisset, adhuc vitari quæ insecuta incõmoda sunt, potuissent. Verùm adhuc, quanquam propè serò sit, consyderemus, quæ nos res impediant, quò minùs ad remediũ tam & præsens & salutare decurramus, quod ab omni memoria tum Principibus tum populo, quandocunq; magnũ aliquod pullularet malum, vnicũ semper refugiũ fuit. Dicis deinde, *Postquam hæ regiones ex diuersis dominiis coniunctæ sunt, quæ quantum ad imperium, iurisdictionem iusq; municipale attinet, nihil inter se commune habent: sed tantummodo inuicem vicina, vni Principi subsunt: non esse æquũ, cogere Regem velle, vt eas simul omnes congreget.* Quęso igitur te mi Domine, si à Rege peteremus, vt Hollandię tantũ Zelandiæq; Ordines congreget (quę duę prouincię lõgisſimo certè tempore coniunctę fuerunt) ac de eorum consilio pręsentibus motibus atq; calamitatibus conueniẽtia remedia adhibeat: quemadmodum maiores eius Bauariæ Principes in omnibus grauioribus

rebus

rebus facere ſolent, harum priuinciarum Ordinibus Hannoniæ ſolùm & Oſternantię Ordines adiungentes: exiſtimaréſne nos æquum petere? Certè quo hîc argumento interis, nullum haberet locum. Ac exiſtimo ſanè particularem hanc congregationem vniuerſali, quam tu tantopere exhorreſcis, Hollandis Zelandiſq; longè fore vtiliorem: qui tamen cauſſę ſuę fiducia vniuerſalem tam inſtanter petunt. Quod igitur Hollandorum zelandorumque peccatum eſt, quòd ſe in libello ſuo ſupplice Principis ſui iudicio ſubiiciunt: ne minimam quidem, ſe illi legem pręſcribere velle, ſignificationem dantes: neque Ordinum vniuerſalium iudicium detrectantes: cui etiam vltro ſe ſubiecêre, ne in ſua ipſorum cauſſa iudices eſſe velle viderentur? Quòd ſi ratio non patitur, vt ob vnius prouinciæ negotium, tot diuerſarum prouinciarum Ordines in vniuerſum omnes congregentur: qua e diuerſò ratione Ordinum Brabantiæ, Flandriæ, nonnullarumque aliarum prouinciarum proteſtatio, qua ſe nullam aliam religionem, niſi Romanam, admittere velle declararunt, huc trahitur, & Hollandis & zelandis præſcribat, ſiue præiudicium adferat? Quanquam ſi res bene expendatur, hic morbus ita vniuerſalis, itaque per omnes prouincias ſparſus ſit, vt remedium cum fructu adhiberi, niſi in vniuerſum, non poſsit. Nam quis neſcit, hac in cauſſa cum Hollandia & zelandia coniunctas eſſe totam ferè Gelriam, Friſiam, & Tranſiſalaniam, ac inſuper multas ciuitates ac loca Brabantiæ, Flandriæ, Hannonię, & Ar-

& Artesiæ ? Et quando anno sexagesimosexto à Nobilibus libellus supplex exhibebatur, quis ignorat, ferè eos totidem ex vna prouincia fuisse, atque ex alia: quique ex iis Hannonienses, Artesienses, aut Namurcenses essent, longè Hollandos zelandosque numero superasse ? Si igitur alij siue violentia minísue perculsi, siue Albanica tyrannide oppresi, siue quòd eiusmodi opportunitatem, qualem Hollandi Zelandique habent, non inueniant, quietos se tenent: an propterea excludendi sunt, vt in hoc incendio ruinaque communi patriæ opem non ferant ? Maximè, cùm extra controuersiam sit, huius belli calamitates & pericula tam reliquas prouincias, quàm Hollandiam & zelandiam attingere, atque aliquantò etiam propiùs. Si enim (quòd Deus auertat) Hollandos zelandosque aut perdi, aut à Regis obedientia alienari contingat: quomodo Brabantia, Flandria, reliquæque prouinciæ aduersus hostiles incursiones defendi poterunt? quomodo item, postquam mare amiserunt, necessitate vrgente, aut annona subleuari, aut ex Hispaniis auxiliis confirmari? Vnde facile est intelligere, hac in caussa vniuersalem Ordinum conuocationem impedire, nihil esse aliud, quàm Regem eiusque sobolem omnium harum regionum possessione exturbare velle. Sed dicti tui rationem audire libet. *Benignitatis, inquis, fuit, quòd maiores Regis nostri in grauioribus caussis omnium in vniuersum Ordinum conuocationem aliquando permiserunt.* Quod vt ita sit, magnæ tamen inhumanitatis est,

facere velle, vt erga hasce regiones minùs benignus sit Rex, quàm eius maiores fuere. Estque hoc Regem in longè aliam, imò contrariam gubernandi viam inducere, atque illi sunt secuti. Vt inde etiam contrarius, atque illi perceperunt, fructus expectandus sit: veluti pro subditorum amore, odium: loco legitimæ administrationis, tyrannis: florentis prosperitatis vice, pernicies, consummatusque interitus. Verumenimuero te tam aut ignarum historiæ, aut à rerum harum regionum cognitione alienum, arbitrari nequeo, quin vt rem notissimam teneas, hasce prouincias cum nonnullis aliis vicinis & finitimis, mox à Caroli Magni temporibus in vnum esse corpus coadunatas: idque sub Austrasiæ siue Lotharingiæ appellatione, à Lothario Caroli nepote, cui illæ in portionem hæreditariam cesserant, posteriore nomine orto. Et tametsi diuersis successionibus diuisæ deinceps fuerint, amicitiam tamen inter se coluisse, ac fœdera seruasse: donec Dux Philippus cognomento Bonus, quasi iure postlimini eas denuo in vnum corpus coagmentauit, ac præclaris constitutionibus, legibus, atque priuilegiis in vniuersum corpus effusis, colligauit: quoties opus esset, Ordines simul omnes congregans, atque in vniuersum omnibus patrem patriæ, atque pastorem populi se exhibens. Qui cùm Imperator & Pontifex hasce prouincias in regnum erigere offerrent, permittere id noluit: tam quia omnis ambitionis hostis esset, quàm ne noua hac re prouinciarum, ciuitatumq; priuilegia

imminueret, neu quid secus faceret, quàm per iusiurandum posset. Quod si tu excipias, Regi nostro nonnullas nunc prouincias parêre, quæ cum hisce nihil tunc commune habuerint: respondendum venit, Philippum Bonum etiam nonnullas alias magni momenti prouincias tenuisse, quæ ademptæ postmodum & separatę fuere. Atq; ad hunc modum coniunctas hasce prouincias, adiunctis Hollandia & zelandia, quarum possessionem sub finem vitæ nactus erat, Philippus Bonus vnico suo filio & hæredi Carolo Audaci reliquit. Qui ambitiosiór hasce prouincias in regnum conflare velle, manifestè prę se tulit: sed impeditus est, partim à prouinciarum Ordinibus eius superbiæ sese opponentibus, partim inuidia Friderici Tertij tum Imperium obtinentis. Quod vtut sit, reliquit ille hasce prouincias arctissimis & indissolubilibus vinculis in vnum corpus colligatas, vnicæ suæ filię & hęredi Marię. Quo in statu Maximilianus postmodũ Imperator maritus eius, & Archidux Philippus filius eas accepit, qui easdem in eodẽ etiam statu Carolo Quinto nunquam satis laudato Imperatori Regis nostri patri reliquit. Qui Carolus hac colligatione & coniunctione non contentus, cùm fore prospiceret, vt concitatæ à malè feriatis nonnullis odio, & simultatibus illæ inter se committerētur, hoc nomine, quòd inter se nihil commune haberent: sublata abolitaq; iurisdictionum diuersitate (aliæ enim Franciæ, aliæ Imperialis, aliæ rursum aliùs iurisdictionis erant) in comitiis Imperialibus de consensu Electorum, Ordinumq;

Imperij omnes hasce prouincias in vnum Imperij membrum (creyts Germanicè vocant) redegit: statuens, vt deinceps omnes coniunctim, eaque lege, ne separari possint, ab Imperio, tanquam Domino, clientelari iure tenerentur, eaque de caussa in statutis Imperij contributionibus, quantum duo Electores, penderent. Quod ab eodem etiam, itemque à Rege nostro inuiolabiliter obseruatum est; eumque in finem Rex Hostratanum Comitem in Germaniam legauit, qui eius nomine has prouincias, vt Imperij membrum, clientelæ iure obtineret. Et cùm illæ hactenus pro talibus semper habitæ sint, mirari satis nequeo, qua ratione affirmare tu sustineas, imperij, iurisdictionisque respectu eas prorsus esse diuersas, extraque vicinitatem nihil habere commune. Quare igitur cùm indictionaria contributio petitur, omnes simul congregantur, eaque consensu omnium constituta, quantum ab vnaquaque prouincia conferri debeat, pro cuiusque modo & facultatibus decernitur? An tu vis, vt cùm contribuendum est, hæ prouinciæ vnum corpus sint? quando verò de remedio aduersus perniciem & interim omnium prouinciarum inuueniendo, consultari debeat: tum vt vnaquæque seorsim remedium quærat, nec ipsæ inter se quicquam commune habeant? Verùm id meo iudicio non solum omnis rationis expers est, sed iniquitatem etiam redolet plusquam tyrannicam. Quid? Quando Rex anno supra millesimũ quingentesimum quinquagesimo septimo Ordinibus pro-

proponeret necessitates belli Francici, quomodo, illi id oneris in humeros suscepêre, nisi simul atque coniunctim omnes? Atque illo quidem incredibili erga Regem fide, mirabilique inter ipsos concordia nouennali contributione nouem ita defuncti sunt annis, vt non parum honoris gloriæque Regiæ inde accesserit Maiestati. An igitur, cùm aduersus extraneum Principem belligerandum erit, hæ prouinciæ vnum corpus constituent, Ordinesque coniunctim in commune consultare poterunt? cùm autem ab illis auertendus est vniuersalis interitus (quem profectò perniciosum hoc intestinum bellum iam ad fores adduxit) separatæ atque ab inter se diuisæ esse indicabuntur: neque vt communi morbo generali remedio subueniatur, Ordines vniuersim omnes cōuocabuntur? Atqui quis ignorat, ob quas res vicinæ prouinciæ coniungi & conuenire possunt, in iis omnibus plus iuris hasce prouincias semper habuisse, & etiamnum habere, quàm vllas alias? Nam quòd ciuitates integræque prouinciæ ad arcus exercitium, aliaque id genus à maioribus recepta certamina confluere solent, vnde, nisi ex hoc conueniendi iure, originem traxit? Quamobrem ciuitates integræque prouinciæ ad epulas ludosque publicos ab omni memoria publica auctoritate sæpe conuenere, nisi vt manifesta fieret harum regionnm inter se coniunctio & concordia? Haud profectò, quàm Græcia ad ludos Olympiacos confluens, suam ostendebat coniunctionem & concordiam. Inferiorum Germa-

norum nomen, aut quomodo nos nunc Hispani appellant, Flandrorum, éstne omnium harum regionum incolis commune? Lingua etiam quanquam duplex sit, ita tamen vtraque communis est, vt multis locis promiscuus vtriusque vsus sit. Nónne prouinciarum prope omnium supremæ curiæ Mechliniam prouocandi ius habent? Et Ecclesiasticarum rerum curiæ, nónne vetusto iure, aut Coloniæ, aut Moguntiæ, supremum sortiuntur iudicatum? Quid vis? An quid ampliùs dici potest, quàm quod iam semel dictum est, omnes hasce prouincias vnam esse Imperij prouinciam, quam Germani Creyts vocant? Quomodo igitur tibi à ratione alienum esse videtur, si vna Imperij prouincia Ordines suos omnes in vnum conuocet? Cùm alioqui monstri instar futurum sit, si venius prouinciæ pars aliqua, sine aliis, conuenire velit. Nisi fortè dicas, hoc bellum Brabantorum reliquorumque respectu, neque ciuile, neque intestinum esse: quod vtique tibi nemo sanæ mentis concedet. Et vt nihil sit aliud, quàm quòd Rex & Imperator Carolus sua de religione edicta in omnibus hisce prouinciis generatim locum habere voluerunt, præbet ne id satis argumenti ad confutandum, quòd illas nihil inter se commune habere asseris? An non idem Hollandorum Zelandorumq; libellum supplicem penitus purgat, cùm iuris regula dictet: Quod omnes attingit, ab omnibus probari debet? Quandoquidem si eorundem edictorum rigor populum ad generalem indignationem alienationemque concitauit, quam quæso

caussam dicas, quamobrem harum regionum Ordines simul omnes conuenire non debeant; vt quæ omnes regiones occuparunt, malis conueniẽs remediũ adhibeant? Atq; hoc ipsum confirmatur duabus istis caussis, ob quas olim Principes Ordines in vniuersum omnes congregare solere, dicis: *Ob bonum publicum (nempe) & res Principum priuatas.* Nunquam etenim illæ, atque in pręsens, ęquè pregnantes fuere: quippe cùm non de simplici aliquo bono, sed de omniũ prouinciarum salute, deq; instaurãda Regię Maiestatis dignitate agatur. Quocirca si vnquam caussa fuit, quare vniuersi Ordines conuocarentur, hoc certè tempore maxima est. Si tamen Rex eiúsue consiliũ à generali Ordinũ coitione nimis abhorreat, existimo (quod quidẽ publicarum deliberationũ ignarus de me loquor) nostros contentos fore, si Rex legitimam Ordinum Hollandiæ & Zelandię congregationẽ permittat: & quid illic maturo consilio ad eius dignitatẽ bonumq; publicũ facere, deprehensum fuerit, approbare, legisq; vice esse velit: cũ (vt dixi) ad Regis auctoritatẽ potiùs, quàm ad vllã aliam rem respexerint. Ceterùm aliã quampiã caussam, quę tibi vniuersorũ Ordinum conuentũ suspectũ faciat, subesse indicas, cùm ais, *vniuersorũ Ordinum comitia eò postulari videri, vt Regi lex ponatur, ideq; tutelæ subiiciatur.* Quod ego nõ à tuo pectore, vtpote melius instructo, sed potiús ex peruersis opinionibus, sinistrisq; suspicionibus eorũ, quos in aula libellum nostrum supplicem adeò fastidire deprehendisti, proficisci arbitror. Persuadere enim mihi nequeo, te tam

alienum à ratione oſtendere velle : cùm proſpe-ctum ſatis habeas, veram legitimamque Regum Monarcharum, Imperatorumqne potentiam, atque vna populorũ, prouinciarumque concordiam ac fœlicitatem maximè ab Ordinum conuentibus pendêre : quemadmodum id ſatis in Germania, omnibuſque bene conſtitutæ reipublicæ prouinciis atque regnis apparet. Nihil enim aliud in republica Ordinum comitia ſunt, quam in Eccleſia Dei Concilia. Quæ vetuſti eccleſiæ Patres atque Doctores olim tanti fecère, vt ſingulis quibuſque ſemeſtribus, aut minimum ſingulis annis ea, & quidem generalia, haberi debere ſtatuerint: & quandocunque aliqua neceſsitas vrgeret, ſemper ad eadem, tanquam ad aſylum confugerint: donec tandem Pontifices nimia potentia elati, eadem ſuæ auctoritati atque arbitrio ſubiêcere. Quæ ſanè res aliâs quidem ſępe, ſed pręcipuę temporibus auorum noſtrorum in Concilio Baſilienſi grauiſsimè oppugnata fuit. Vbi etiam decretum eſt, vt decimo quoque anno ex vniuerſo Chriſtiano orbe Concilium generale cogeretur, cui ipſe etiam Pontifex ſubeſſet. Quod ambitionem poſteriorum Pontificum ita pupugit, vt deinceps omnibus viribus Concilia ſemper impedierint: adeò vt cùm in ſumma illa totius Chriſtiani orbis neceſsitate, ad vrgentiſsimam ſolicitationem Imperatoris Caroli, Concilium Tridentinum tandem aliquando cœptum eſſet, mille dilationibus atque ſubterfugiis illud in triginta amplius annos productum fuerit. Sed quod in Con-

cilio Constantiensi accidit, omittendum non est: in quo Iohannes Vigesimustertius, trium tum depositorum Pontificum vnus, accusatus de grauissimis criminibus plusquam quinquaginta, suspirabundus semper respondit, se adhuc longè grauius commisisse, quòd Concilium liberum permisisset, seque eius decretis subiecisset: quamobrem etiam summa cũ ignominia depositus fuit. Quod eò refero, vt ostendam, à conuentibus generalibus abhorrere, tyrannorum esse: omnes autem bonos Principes, Reges, Imperatores istiusmodi comitia & conuentus semper & desyderasse & procurasse: quemadmodum boni sanctique Præsules, quoad eius possent, in Ecclesia Dei Synodorum, Conciliorumque coitionem semper procurarunt. Vero enim verius est, quòd vbi plures conueniunt, vt de negotiis siue reipublicæ siue ecclesię consultent, ibi plerumque Deus principem locum occupet, suumque Spiritum effundat, plurium oculis reserans, quod vnius paucorúmue videre non potuerint. Vt profectò Hollandi zelandique in benignitate, iustitia, clementiaque Regis magnam se collocatam fiduciam habere ostenderint, cùm illi pacandarum harum regionum verum vnicumque modum proposuêre. Nam cùm iuberentur de religione prorsus tacere: quid omnium potuissent conuenientiùs meliúsque facere, quàm vt Regiæ Maiestatis, omniumque harum regionum Ordinum iudicio se subiicerent? Quo sanè euidenter monstrant, se neque totius terrarum orbis, neque Regis conspectum refugere,

quò minùs iis criminibus, quibus ſumma cum iniuria falsò aſperguntur, ſe vacuos eſſe oſtendant. Et ſi religio illorum tam peruerſa & impia eſt, atque Regi perſuadetur, quid potuiſſent facere ſynceriùs, quàm quòd petierunt, vt illa diiudicaretur ab illis ipſis, qui illam nullo modo recipere velle, tam ſolemniter proteſtati ſunt? Quinimo quid potuiſſent illi facere, quod æquè conueniſſet tum Regiæ Maieſtatis, & dignitati, et honori, tum fideli ipſorum obedientiæ, quàm quòd eiuſdem Maieſtatis, Ordinumque eius iuſſu legitimè coactorum, iudicio ſeſe ſubiicere? Ac verò vide, ne vos iudicium ſententiamque Regis metuere, fugereq; videamini: aut ſaltem pro infante illum, itaque iudicij experte habere, vt inter nigrum & album diiudicare nequeat, niſi quid facere debeat, præſcribatis: præcipuè verò cùm impeditis, ne libelli noſtri ſupplices ad illius perueniant aures. Vide item, ne voſmet ij ſitis, qui Regem tutelæ ſubiiciunt, illique in ſubditorum querimoniis liberum iudicium non permittunt. Cuiuſmodi qui facit, Regi diadema adimit, ac ſemet Regem conſtituit: cùm dignitas Maieſtaſque Regis non tam in opibus atque titulis, quàm in cognoſcendis deſyderiis populi, atque adminiſtranda iuſtitia, collocatæ ſint. Tantum igitur abeſt, vt Hollandi Zelandique Regem tutelæ ſubiicere conentur, vt contrà præſens hoc bellum non alium habeat ſcopum, quàm vt ille in negotiis deſyderiiſque populi legitimè, moreque maiorum diiudicandis, plenæ ſuæ integræque reſtituatur libertati: quam

vos

vos hactenus ſceleratè illi eripuiſtis, Romanenſi Pontifici atq; Inquiſitionis Magiſtris illum ſubiicientes, ac cognoſcendorum populi deſyderiorum iure atque poteſtate priuantes. Quid verò ad hunc epiſtolæ tuæ articulum attinet, vbi, *ne latum quidem culmum Regem vnquam cedere debere, videri tibi*, ais, eo tantùm non conſternatus ſum: cùm inde ſatis intellexerim, te aliter, quàm tibi videatur, Regem iudicare nolle. Si tu cliens & ſubditus Regis es, an concedere, an nō debeat, ipſum diſpicere ſinas: neque priuſquam intellectis libellis noſtris ſupplicibus, eorumque rationibus, liberè iudicium ſuum interpoſuerit, vnam illi legem præſcribas. Alioqui enim, non prorſus ſtupidis ſuſpicandi occaſionem ſuppeditabis, aut te Regem pro tam imperitò rerum habere, vt ſtatuere de negotiis ſuis nequeat, aut opinionem veſtram veſtro iudicio legem & tutelam debere eſſe, cui neceſſariò Rex ſe ſubdat. Quòd ſi quam tibi hac in re impreſsiſti opinionem, tanti ponderis eſſe putas, harum regionum Ordines, atque ciuitates omnes alterius eſſe opinionis, cogitandum tibi eſt; & ſi fortè aliquando vniuerſorum Ordinum ſententiæ colliguntur, plures fore Hollandorum Zelandorumque opinioni, quàm tuæ conformes. Si verò tu aliter iudicas, quamobrem tantopere examen detrectas, neque Regi, vt ipſe libellum noſtrum ſupplicem cognoſcat atque diiudicet, liberum arbitrium & poteſtatem permittis? niſi fortè nos tuam opinionem pro decreto Regis habere debere, ſuſtinere velis: quod mihi de tua modeſtia

magna-

magnaque prudentia persuadere nequeo. Rogo autem, ne te diutius cauillatoriis, nescio quibus, prætextibus occæcundum des; sed potius pro viribus in instaurandam harum regionum tranquillitatem incumbas: quæ profectò haud aliter recuperari poterit, quàm si Regi sua seruetur auctoritas integra, vt cognoscere ipse de desyderiis clientum subditorumque suorum, opem misericordiamq; eius implorantium, aliisque eorundem negotiis posit: ac de consensu omnium harum regionum Ordinum, in hac quidem caussa, vtpote quæ in commune omnes attingat, conueniens remediũ adhibeat. Ne item nos hominum exterorum tyrannide oppressos velis: quibus nihil aliud studio est, quàm vt etiam cum sanguiue nostro, cum harum regionum omnium pernicie consummatoq; interitur, cum enormi denique Regiæ Maiestatis diminutione, inexplebilem suam exatient auaritiam, immoderatasque cupiditates: nihil prorsus pensi habentes, etiamsi omnia hic pereant, modò ipsi spoliis nostris onusti, domum quisque suam, redire aliquando posit. Confido autem Deum Optimum Maximum pro immensa sua benignitate nos aduersus tam nefarios eorum conatus, quemadmodum hactenus, esse propugnaturum.

FINIS.

